

Johannes Corfinius

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Johannes Corfinius ... Ad  
Funus Quod ... Ilsabe Roggen. Desideratissimae suae Coniugi ... Henricus  
Schuckman/ I.U. Doctor ... paratum cupit ... Cives omnium ordnum Academicos ...  
vocat**

Rostochii: Kilius, [1653]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777422972>

Druck Freier  Zugang



10.  
Corfinivs, J.,  
in  
Ilsabe Rogge,  
uxor. H. Schuckman.  
Rost. 1653.







2







PROGRAMMA  
<sup>Quo</sup>  
RECTOR  
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS  
JOHANNES CORFINIVS,

SS. Theol. D. Moralium Professor,  
& Pastor D. Mar.



- Ad  
Funus  
Quod

*Matrona Laudatissima & Pientissima,*

**JESSE ROSEN.**

Desideratissimæ suæ Conjugi,

*Vir Amplissimus & Consultissimus.*

DN. HENRICVS Schuckman/  
J. V. Doctor, Codicis in hac  
Universitate Professor celebratissi-  
mus, & Ducalis Consistorij Assessor  
gravissimus.

*Die hodierno hora x. paratum cupit*  
in Templo Jacobæo.

Cives omnium ordinum Academicos sedulo  
& peramanter vocat.

---

ROSTOCHII,  
Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.





Alcedonum pietas isto cum primis  
commendatissima est nomine, quod avi-  
cula utraq; fidissima sit, & neutra alteram  
deserat, neq; nimbo se subducat, quan-  
tum vis furibundus ferociat procellarum  
impetus; quinimò tantus foeminarum  
perhibetur amor, ut masculum senio enervatum ad flu-  
enta perducant, atq; si fortassis una earundem priuetur  
vitâ, reliquæ omnes

*lugubre sonans per litora carmen:*

Evidentissimum profectò aves Conjugatorum typum  
sistunt, quos quidem infucatus combinavit amor, scili-  
cet isti nullâ infortuniorum divelluntur procellâ, nul-  
loq; dissipantur adversorum turbine, ne maximo qui-  
dem & immani, fæderis etenim quondam initi haud-  
quaquam immemores se vitam fidemq; unâ operâ jun-  
xisse accuratè expendunt, quocirca connubiali vinculo  
qualicunq; ratione rupto, lugubri luctu conceptum ex-  
primunt moerorem, & prægrandem insimul latentemq;  
pectoris perferunt rupturam, *Pythagoras* Sectæ Itali-  
cæ quondam Autor & Professor incomparabilis inter  
reliqua hoc inculcabat symbolum, *Panem non esse frangen-  
dam*: quo ipso moniturus erat, Unionis maritalis divul-  
sionem nullatenus esse admittendam; ex granis pluribus  
panis depeditur, & compactus coquitur, qui animorum  
unionem accuratè adumbrat, prisci etenim olim amici-  
tiam conciliaturi panem adhibebant, designantes, pa-  
nem quidem optimum esse & præcipuum hominis con-  
servandi alimentum, amorem verò unicum & primum  
unionis nutrimentum, quocirca Sophorum iste Ocellus  
Panis fracturam prohibens, innuebat præcipuè unio-  
nem inter conjuges nunquam esse rumpendam, eò quod  
una



una illorum caro esset, & fides una atq; indivulsa. Appo-  
sité hoc conspirat effatum cum cælesti monito, quo se-  
verè injungitur singulis, ne quis vinculum rumpat, quod  
ab ipso constrictum esse Numine sacer Codex affirmat.  
Coëterum ille universi Architectus & Conditor, qui mor-  
tales foedere connubiali unit, unitos deinceps ad nutum  
suum divellit, quod non unâ duntaxat, sed vicibus sæpe-  
numerò iteratis fieri singulis exploratum est, cujus qui-  
dem abstrusioris consilii ac beneplaciti abditas in divi-  
no cordis penetrati habet rationes ipse, quas scrutari  
& rimari nefas esto. Quantacunq; verò illa sit, quæ exin-  
de in superstitibus Conjuges redundat afflictio, utiq; cæli-  
tus immittitur, & non nisi cælesti assignanda erit dextræ  
Parentis, qui sive castiget, sive blandiatur, omnino Pa-  
ternum retinet affectum. Non sanè leviutcula erit cen-  
senda illa moeroris sarcina, dum vulnera Maritalis pe-  
ctoris Uxorum junctissimarum discessum amarè lugentis  
recrudescunt, sed dolor iste eò est impensior, quo flagran-  
tior fuerit pristini amoris candorisq; fides. *Gracchum* ex  
Romuli posteris oriundum, eâ laude inclaruisse memo-  
riæ proditum est, quod uxoris vitæ insigniter prospexerit,  
namq; angvibus domi suæ mare pariter atq; foeminâ  
prehensis, cum certior redditus esset ab aruspice, mare  
demisso ipsius uxori, sed contrâ discedente foeminâ,  
sibi ipsi celerrimum instare obitum, rarissimo conjuga-  
lis & defæcati amoris exemplo, marem occidi, foemi-  
namq; dimitti jubens, salutarem conjugii potius quam  
sibi ipsi partem sequi maluit, adeoq; ut superstitem lin-  
queret uxorem Corneliam charissimam, seipsum in ser-  
pentis masculi interitu occidi maluit. Non uni Graccho  
sincera ejusmodi in Conjugem tribuenda propensio,  
utiq; in aliorum sæpius Maritorum recessibus illa lati-  
tat, qui prosperitatem Uxorum & vitam non minus



quam suammet unice desiderant, proinde dolore excruciantur intimo, dum egregiis domus ornamentis, & levaminibus pectora refocillantibus se orbari experiuntur. Veruntamen in ipso etiam luctu acerbo Viri Spiritus firmitudine corroborati ad animum revocant, ea propter afflictiones domesticas immitti, ut firmentur potius, & in Virtutum palastrâ exerceantur, quam ut convellantur franganturq; animi. Equidem hæc obfirmata est mortalium plurimorum animi sententia, quâ confidenter astruunt, luctus frequentiam molestissimam esse molem, unde plerumq; nihil anxie magis, quam copiosam gaudiorum desiderant messem: Ab illorum verò opinione longissimè abit Israëlitarum Regum sapientissimus, qui liquidò pronunciare haud veretur. *Præstare domum luctus præ domo gaudiorum;* censebit sanè mundanorum caterva imbellis hoc esse Paradoxon, neq; suo unquam approbabit calculo, attamen qui rem penitus introspiciunt, luctum ipsis tripudiis anteferendum esse, haud inficiabuntur, siquidem æquissimâ trutinâ utrinq; utilitatem libraverint; enervatur profectò animus inter delicias, & paulatim virtus flaccescit, sed iste quem mæror occupat & sollicitudo crebrior, à transgressione & vitiorum lue magis magisq; redditur alienus, & succrescit virtus adversorum incurfu. Omnino luxuriant homines, qui ab omni immunes fuerint luctu & adversitate, efferantur, & ferociunt, quoquò eos cupido abripit, cursu citato sequuntur, neq; calcitrantibus absimiles sunt, caballis, quorum nisi domet refrænetq; ferociam fessor, sibi ipsis perfacile, aliisq; damnum accersunt; haud secus isti efferi sunt, neq; leges admittunt probatas, neq; consilia sana, cum nullo afflictionum capistro lancinentur: Contrâ qui luctu sæpius exercentur, in virtutum palastrâ se solertes exhibent, & per ictus crebro exceptos  
effi.



diuntur validiores, quantumvis enim afflictione multiplicata corporeæ debilitentur vires, iteratis præsertim domesticorum ad amatorum funeribus, nihilominus Spiritus consolidatur, dum sacratæ Verbi stabilitur felicitatis, neq; enim corrumpitur robur, ubi spirituali refocillatur rore pectus, suppressio ista hominis exterioris, excellentissima est exaltatio interioris, atq; inter luctum luxumq; mundanum lucta est perpetua. Pulcherrimè ista mōre suo expressit Antistes Orthodoxus, qui ob auri oris eloquium celebratissimus est, qui cum perstrinxisset inconditos mundi tripudiantis mores, pompam, tibias, cymbala, & lasciva cantica, de domo lugentium sequentia subnectit, *Ubi luctus est (inquit) ibi omnia composita, multa requies, altum silentium, mortis memoria, futurorum meditatio, vera sapientia, inordinatum nihil, nihil incompositum: quisquis hic loquitur submissè, breviter, modè loquitur, satis est natura luctus; sapere docet, & ad omnem modestiam ac frugem se componere.* De hujusmodi ergò afflictione sibi gratulari rectius quiverint, quotquot Christo sacramentum fecere, quam de illatâ conqueri. Psaltes sanè Regius, pietati sincerè & impensè addictus, non inter incommodorum seriem recensebat adversitates immixtas, quinimò exclamabat, *Bonum est Domine, quod me afflixeris, ut addiscerem tuas justificationes*, quo quidem Aphorismo hoc expressurus erat, sese hæcenus curiæ cælestis stylum non penitus imbibisse, sed ignorasse, quid juris divini esset. nunc demum in Academiâ Spirituali se factum esse Jurisconsultum. Ne abeamus longius Tenostrium compellat alloquium, *Vir Amplissime, & Consultissime, Dn. D. HENRICE SCHUCKMANNE, Jurisconsulte, & Professor Codicis Celeberrime, & de nostrâ Academiâ præclare merite, Dn. Collega & Amice honorarissime*, inter cunctos Academiæ Patres crebriorem expertus es luctum, & chari-



rissimorum Caputum iterata vidisti funera, Filiolos aliquot in ipsâ quidem infantili ætatulâ abreptos amisisti, unicam quoq; Filiam, præcharum senii oblectamentum; Sed imprimis obitu suo immaturo patrium excruciarunt animum Tres Filii egregii, ad virtutis culmen masculè properantes, de quibus paratissimam & prolixam recreationis messem jamjam exspectabas, ast occubuerunt flores fragrantissimi in ætate juventutis amænâ, maximumq; patrio penetrati infixere cordolum, de quibus quicquam ulterius promere haud fas erit, ne prisca refricuisse vulnera insimulemur. Neq; verò istis funeribus circumseptus fuit mæror, longius ire coactus est, cum Conjugum etiam, illarumq; charissimarum ex orbe discessum lachrymis largis, & vulnèrato luxeris pectore, non primâ duntaxat, sed quoq; vice secundâ; neq; tamen inibi luctui positum fuisse limitem expertus; tertiâ etiamnum vice domestica hæc farcinâ animum angit, & junctissimam divellit Uxorem. Ferreus equidem foret, & adamante durior, qui non sympathiam persentisceret, exprimeretq; erga animum toties totiesq; dolorosis ictibus concussum, *Venerabilis & Amplissime Dn. Senior*, certe quoties cordati tuas has revolvant tristiores clades, toties pectori usq; adeo coarctato solamen cœlitus communicandum apprecabuntur; Veruntamen ad illam, quâ Te *Antecessor Consultissime*, abundanter instructum novimus, Verbi panaceam animum ablegabis, & ex limpida Israëliscaturigine denuò lympham hauries, quâ sitim antehac restinguere consuevisti. Nos ultimum Beatæ huic Conjugi exsolutori honorem, ista in compendium redigemus, quæ de ortu pariter atq; obitu de more recepto laci publicæ exponere lex æquitatis postulat. Edita verò *Laudatissima, & ornamentu mulierem condideribus Conspectiva Matrona Msabe Roggen* Anno millesimo, quingentesimo,



tesimo, octuagesimo nono, die 25. Januarii, Rostochij. Patrem habuit Virum Integerrimum HENRICUM Roggen / Civem & Negotiatorem hujus Urbis Rostochiensis, Matrem vero ANNAM Rordes / Fœminam Honestissimam: Avus Paternus ei fuit Vir Spectatissimus, JOHANNES Rogge / Civis Hamelienfis in finibus Westphaliæ, Pastoris Ecclesiæ Rinthelienfis, & EUPHROSYNÆ Wiprigen / Filius, Avia Paterna Fœmina Lectissima, INGEBURGIS Corsey / Westphala, ex vetustâ & celebri familiâ rum Corseyorum, quâ lineam paternam, tum Besenhaliorum, quâ maternam, oriunda. Avus deniq; maternus fuit Vir Reverendus, & Eruditissimus, Dn. NICOLAUS Rordes / Pastor Ecclesiæ Zeteminensis non procul ab oppido Malchinensi, in hoc ipso Ducatu Megapolitano. Parentes ut pli fuere & religiosi, ita his moribus & virtutibus insueverunt filiam præcipuè, quæ merito prima erit, & accuratissima Parentum quorumvis cura, quid enim attinet animum virtutibus variis, etiam speciosis implevisse, si à pietate fuerit vacuus. Juncta est Marito Anno ætatis XXI. primitus quidè Viri Integerrimo JOACHIM O Nagelstein / Civi & Negotiatori Rostochienti, & illi convixit annos 15. plane ex animi sententia. Eodem defuncto ad secunda transit vota, Anno 1625. Kal. Novembr. & Maritum nacta est Spectatissimum & Prudentissimum, Dn. JACOBUM Allwart / inter Cives præcipuos, & Sedecim-Viros numeratum, & Mariani antehac Templi Ædilem, deinceps vero Urbis hujus Senatorem laudatum, cumq; illo 24. annos feliciter exegit, summo etenim studio, & integerrimo amore ipsum fuit complexa. Tandem isto quoq; è vivis discedente, cum in viduitate biennium explevisset matrimoniali juncta fuit fœdere Viro Amplissimo, & Consultissimo Dn. HENRICO Schuckman / Juris Antecessori, & in hac Academiâ Professori & Ducalis Consistorii Ecclesiastici Assessori Eminentissimo, Dn. Collegæ & Amico nostro plurimum honorando, nunc Viduo tertiâ vicè modestissimo, quod connubium Anno 1651. die XXV. Maji initum, ne quidè biennale fuit, summâ tamen animi consensione, & amore arctissimo Maritum venerata est Macarites nostra, atq; hoc annorum spatium nimis contractum ita transegit, ut nihil notæ deterioris contraheret, plurimum verò laudis ex moribus inculpatis, & Virtutibus egregiis sibi compararet. Venerando Dn. Seniori Marito exoptatissimo ad nutum erat obsequentissima, & ut senii difficultates, ac officii molestias comitate, animi

prompti-



promptitudine, prudentiâ deniq; singulari sublevaret, cunctos impig-  
 re intendebat nervos, adeoq; laudes bonæ uxoris impetrabat facilli-  
 me. Morbi vero genere, quod Experientissimus Dn. Medicus Mara-  
 smum nuncupavit, correpta est, & ex hoc cum debilior subinde red-  
 deretur, tandem decumbere cœpit ante septimanas sex; exinde vi-  
 res corporis quamvis paulatim deficerent, mens tamen constitit salva  
 & integra; cumq; pedetentim malignans serperet morbus, die 16. Fe-  
 bruarii S.S. Eucharistiâ Dominicâ, cum transgressionum molem de-  
 votâ confessione, & corde contrito primum deposuisset, refecta fuit,  
 atq; usa ministerio Viri Admodum Reverendi, & Excellentissimi Dn.  
**JOHANNIS QUISTORPII**, S. S. Theol. D. & Prof. & ad D.  
 Jacobi Ecclesiasticis dignissimi, Dn. Affinis & in Christo Fratris pl. ho-  
 norandi. *πνευφοειαν* vero fidei non duntaxat Dn. Confessionario,  
 sed aliis itidem Verbi Præconibus abundantissimè declaravit, neq; lin-  
 guâ tantum, sed quoq; gestibus, brachiorum cum primis elevatione  
 eandem contestata est, & puchritudinem dulcedinemq; cœli, (cujus  
 prægustum quendam nocte anteriori se habuisse retulit) astantibus com-  
 mendavit die 8. Martij, quo ipso etiam Dn. Marito præcharissimo,  
 ipsiusq; Filiis, Viro Admodum Reverendo & Excellentissimo, Dn.  
**HERMANNO SCHUCKMANNO**, S. Theol. D. ejusq; in hac Univer-  
 sitate Professore optimè merenti, ut & Viro Consultissimo & Excellen-  
 tissimo Dn. **CONRADO SCHUCKMANNO** J. U. Doctori claris-  
 simo, Amicis & Collegâ pl. honorandis, dehinc Sorori suæ, itemq; Pri-  
 vignis, aliisq; Matronis præsentibus pie valedixit. Ita ad beatum disces-  
 sum parata, sine doloris sensu horâ 1. nocturnâ placidissimè obdormi-  
 vit, Anno ætatis sexagesimo quarto.

Si votis quidquam nostris impetrare licuisset, optassemus serîò ne illa  
 Te Amplissimè Dn. Senior, denuo invalisset ægritudo, namq; Senii &  
 officii moles per se satis onerosa est, ad quam si cumulati accesserint do-  
 lores, vires superstites facile expugnant, quod ne fiat, sed potius ut pu-  
 blico Academiæ emolumento longum diurnes, unice & obnixè Deum  
 imploramus.

Cum vero Laudatissimæ Matronæ Exuvix hodie sint humanae, ob  
 præclarissima Dn. Antecessoris merita Cives omnes extremû honoris  
 documentum singulari animi lubidine exhibituros esse nullus ambi-  
 go, quod ipsum ut promptissimè faciant, amice & serio cun-  
 ctos inviro. PP. die XI. Martij An. 1653.

*Continuum in Templo D. Jacobi instituitur.*



















tesimo, octuagesimo nono, die 25.  
Virum Integerrimum HENRICU  
rem hujus Urbis Rostochiensis, Ma  
minam Honestissimam: Avus Pat  
HANNES Rogge/ Civi Hamelien  
Ecclesie Rinthelienfis, & EUPHR  
terna Foemina Lectissima, INGE  
tultâ & celebri familiâ rum Corfey  
Besenthaliorum, quâ maternam, ori  
Vir Reverendus, & Eruditissimus, D  
Ecclesie Zetementis non procul ab  
Ducatu Megapolitano. Parentes ut  
bus & virtutibus infueverunt filiam  
& accuratissima Parentum quorum  
virtutibus variis, etiam speciosis im  
Juncta est Marito Anno atatis XXI. p  
JOACHIMO Hagelstein/ Civi &  
convixit annos 15. plane ex animi sent  
da transit vota, Anno 1625. Kal. Nov  
ctatissimum & Prudentissimum, Dn  
ves præcipuos, & Sedecim-Viros num  
pli Edilem, deinceps vero Urbis hu  
ullo 24. annos feliciter exegit, summa  
amore ipsum fuit complexa. Tandem  
cum in viduitate biennium explevisset  
Viro Amplissimo, & Consultissimo D  
Juris Antecessori, & in hac Academia  
Ecclesiastici Assessori Eminentissimo.  
plurimum honorando, nunc Viduo ter  
bium Anno 1651. die XXV. Maji initum  
mâ tamen animi consensione, & amo  
est Macarites nostra, atq; hoc annorum  
translegit, ut nihil notæ deterioris cont  
ex moribus inculpatis, & Virtutib  
Venerando Dn. Seniori Marito exoptat  
tissima, & ut senii difficultates, ac of

chij. Patrem habuit  
livem & Negoriato  
TNAM Rorbes/Fæ  
Spectatissimus, JO  
Westphalia, Pastoris  
gen/Filius, Avia Pa  
y/Westphala, ex ve  
am paternam, tum  
leniq; maternus fuit  
IS Rorbes/ Pastor  
nienfi, in hoc ipso  
giosi, ita his mori  
merito prima erit,  
im attinet animum  
erate fuerit vacuus.  
n Viro Integerrimo  
Rostochiensis, & illi  
defuncto adsecun  
tum nacta est Spe  
Allwart/inter Ci  
iani antehac Tem  
laudatum, cumq;  
o, & integerrimo  
vivi discedente,  
Juncta fuit sædere  
CO Schuckman/  
ucalis Consistorii  
& Amico nostro  
imo, quod connu  
ennale fuit, sum  
laritum venerata  
s contractum ita  
num vero laudis  
bi compararet.  
merat obsequen  
tomitate, animi  
prompti-

